

NvK an alle Christgläubigen. Er bestätigt die von Sigismund von Thun und dessen verstorbenem Bruder Anthonius vorgenommene Stiftung einer ewigen Messe in der St. Martinskapelle zu Gufidaun (Pfarrei Albeins), die von einem Kaplan gehalten werden soll. Er investiert den von Sigismund von Thun präsentierten Johannes Prant und gewährt Sigismund sowie dessen Erben das Patronatsrecht über die Kaplanei. Die Nutzung der Opfertgaben darf nicht ohne Erlaubnis des Pfarrers von Albeins geschehen.

Or. (spitzovales Siegel des NvK an Pergamentstreifen): DĚČIN (TETSCHEN), Statní archiv, Sign. I-54, sub data.¹⁾

Kopie (15. Jh.): BRIXEN, OA, Aktenkonvolut Thun-Benefizium, p. 5f.; (J. Resch, 18. Jh.): BRIXEN, Priesterseminar, Ms. E 11 (nicht paginiert).

Em.: Langer, Mittelalterliche Hausgeschichte der edlen Familie Thun, Heft 3, 90 Anm. 4; ebd., Heft 5, 49.

Nicolaus miseracione divina tituli sancti Petri ad vincula sacrosancte Romane ecclesie presbiter cardinalis, episcopus Brixinensis, universis et singulis Christi fidelibus presentibus et futuris harum inspectoribus litterarum salutem in domino sempiternam.

Honestis supplicum votis illis, presertim que divini cultus augmentum et animarum remedium concernunt et salutem, libenter annuimus. Et si qua propterea rationabiliter
5
ordinata comperimus, decens est, ut ea graciosis favoribus prosequamur. Cum enim quondam nobilis Anthonius de Thunn²⁾, frater nobilis nobis in Christo dilecti Sigismundi de Thunn, alias et eciam infirmitatis et ultimo vite sue temporibus proposuerat unam missam perpetuam in capella sancti Martini in Gufiduno nostre diocesis ad laudem omnipotentis dei et beatissime matris Marie sanctorumque eius omnium
10
honorem necnon ob suarum progenitorum et omnium successorum suorum cunctorumque fidelium animarum salutem fundare et quod eidem Sigismundo magno affectu et seriose ad perficiendum et fundandum commiserit, prout idem Sigismundus fecit, et cum dicto Anthonio, fratre suo, eandem certis bonis, agris, pratis et domibus cum perpetuis annuis redditibus et proventibus, videlicet sedecim marcharum Veronensium
15
usualis monete Meranensis, dotarunt et eosdem ad eandem assignarunt et appropriaverunt, quequidem missa per unumquemque cappellanum ad missam ipsam constituendum et instituendum perpetuis temporibus singulis diebus, excepto uno, ebdomodatim absque fraude in dicta capella sancti Martini in uno altarum inibi sibi placito celebrari aliaque fieri debeant per eundem atque servari, prout hec omniaque premissa in
20
littera fundacionis desuper confecta³⁾ et dicti Sigismundi ac dilecti in Christo Johannis de Koburg sigillis appendentibus sigillata et nobis ostensa atque per nos visa clarius continentur. Fuit itaque nobis per prefatum Sigismundum humiliter supplicatum, quatenus fundacionem, dotacionem, assignacionem et appropriacionem prescriptas
25
graciose confirmare et approbare dignaremur.

Nos igitur Nicolaus cardinalis et episcopus prefatus supplicacionem huiusmodi iustam et rationi consonam fore attendentes fundacionem, dotacionem, assignacionem et appropriacionem prefatas auctoritate nostra ordinaria, quantum de iure possumus et debemus, confirmamus et approbamus ac presentis scripti nostri munimine roboramus. Et dilectum in Christo Johannem Prannt, presbiterum et cappellanum ad
30

11 suarum: folgt überzähliges et.

dictam perpetuam missam per dictum Sigismundum de Thunn ad instituendum nobis presentatum, investivimus ac per presentes investimus de eademque eidem providemus, regimen et administracionem ipsius misse seu capellanie perpetue sibi committentes, reservantes eciam expresse, quod cum inantea et quociens ipsa perpetua
35 missa seu cappellania vacaverit, quod extunc per dictum Sigismundum, suos heredes et illos in prelibata fundacionis littera specificatos uti patronos dicte cappellanie seu misse perpetue nobis successoribusque nostris presbiter ydoneus ad eandem instituendus, ut moris est, debeat presentari; eciam volentes et statuentes, quod dictus Johannes Prannt et omnes sui in dicta cappellania successores capellani de offertoriis, votivis et iuribus
40 parrochialibus quibuscumque absque rectoris seu vicarii ecclesie parrochialis in Albeins dicte nostre diocesis, cui dicta capella sancti Martini iure filiacionis annexa est, pro tempore existentis licencia et voluntate nullatenus se intromittant seu quoquomodo sibi usurpare presumant. Nolumus tamen per hanc nostram confirmacionem cultum divinum in dicta capella quomodolibet diminui, sed in omnibus et per omnia iuxta
45 hactenus observatam consuetudinem laudabiliter nichilominus peragi et firmiter observari iuribus eciam episcopalibus in premissis omnibus semper salvis. In quorum omnium fidem et testimonium premissorum presentes litteras exinde fieri nostrique iussimus appensione sigilli communiri. Datum Brixine die nona mensis novembris anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto.

¹⁾ *Nach dem Repertorium von Joseph Resch befand sich ein weiteres Or. in BOZEN, StA, Lade 21 Nr. 24 C. Die Urkunde fehlte dort aber bereits 1921.*

²⁾ *Anton I. von Thun († 1448). Zu ihm s. ausführlich Langer, *Mittelalterliche Hausgeschichte der edlen Familie Thun*, Heft 3, 46-97.*

³⁾ *S.o. Nr. 2896. Der Stiftungsbrief wurde bereits am 29. Oktober 1452 ausgestellt. Warum NvK die Stiftung erst jetzt, vier Jahre später, bestätigte, ist nicht bekannt.*